

F.K.
119,
17.

X 190 3738

II n
6785

PUBLICÆ SALUTIS
FUNUS
IN FUNERE
CAROLI XI,
SVECORUM,
GOTHORUM, VANDALO-
RUM MONARCHÆ.

JUSSU CELSISSIMI CIMBRORUM
DUCIS

FRIDERICI,

IPSO EXEQUIARUM DIE
CONCIONI ACADEMICÆ
KILONIENSI

INDIXIT

JO. FRID. MAYER, D.
CONSILIARIUS REGIUS ET PROFESSOR
THEOLOGUS DUCALIS.

HAMBURGI,
Sumptibus GÜTFRIDI LIBERNIKKELII,
Typis FRIDER. CONRAD. GREFLINGERI, 1698. C



PUBLICAE SALUTIS

FUNUS

IN FUNERE

CAROLI XI

SVECORUM

GOTHORUM, VANDALO-

RUM MONARCHAE

IUSSU CELSISSIMI CIMBRORUM

DUCE

FRIDERICI

IPSO EXEQUIARUM DIE


CONCIONI ACADEMICAЕ

KILONIENSI

INDIXIT

JO. FRID. MAYER, D.

CONSILIARIS RECHT ET DRUCKER




de
bo
pe
gi
tr
P



PRORECTOR
ET
SENATUS ACADEMIÆ KILONIENSIS,
AD
VIRTUTES LAUDESQUE
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
CAROLI XI.
SUECORUM, GOTHORUM, VANDALO-
RUMQUE REGIS &c. &c. &c.
IPSO EXEQUIARUM REGIARUM DIE, XXIV. NOVEMBRIS
AUDIENDAS,
OMNIUM ORDINUM AC DIGNITATUM
MÆCENATES, PROCERES, FAUTORES,
CIVESQUE ACADEMICOS,
OMNES ET SINGULOS,
PERQUAM OFFICIOSE, HUMANITER, STUDIOSE
AC AMANTER
INVITANT, ROGANT ET HORTANTUR.

* * * *

 *Si ea Principum in his terris dignitas atque Majestas est, ut nulla gens neque tam immanis, neque tam fera sit, quæ non divinum quiddam, & sacrâ quadam veneratione dignum in iis agnoscat: illud tamen magnopere dolendum, si quando bonum Principem humano generi divina concessit benignitas, eum, perinde ut ceteros mortales, humanis casibus & nature communis fragilitati obnoxium esse & subjectum. Quid enim regno aut regioni tristius, quid calamitosius, quid luctuosius potest accidere, quam si Rex vel Princeps ad communem salutem divinitus datus, qui populo velut visibilis*

A

ali-

aliquis DEUS præsit, illi fatorum inclementiâ rursus eripiatur? Interea
 autem antiquitas, ne planè mortales Deos habuisse videretur, eos ab exces-
 su in Deorum immortalium numerum retulit, cultusque & honores divi-
 nos iisdem exhibuit, ut vel hoc pacto immortalitatem quandam conseque-
 rentur. Verùm hæc consuetudo eò tandem stultitiæ atque dementiæ pro-
 cessit, ut nonnulli Principes adhuc vivi, non solum ab adulatoribus DII ap-
 pellarentur, sed ipsimet etiam ejusmodi divinitatem affectarent. Quis
 nescit Magni illius Alexandri insaniam? qui victoriis suis elatus ac turgi-
 dus, à Grecis, ut se DEUM facerent, postulavit, multum in eo dissi-
 milis Philippo Parenti, qui per puerum sibi quotidie mortalitatem &
 humane naturæ conditionem in memoriam curabat revocandam. Ut
 Caligulam, Domitianum, Heliogabalum, Herodem Agrippam alios-
 que taciti jam prætereamus. At enim hujusmodi cultum, utpote soli
 DEO debitum, jure meritoque boni Principes declinant; qui tamen,
 quantò minus divini haberi volunt, tantò magis divini sunt dicendi.
 Neque enim omnem planè divinitatem Principibus denegatam cupi-
 mus, cùm vel ab ipso DEO aliquam iisdem concedi haud ignoremus:
 non aliâ tamen ratione, nisi ut similitudo quædam cum DEO, & vi-
 caria illius in his terris potestas denotetur. Quandoquidem Rex im-
 perium nemini obnoxium habens, vivaque quasi lex existens, DEI
 omnino inter homines imaginem refert. Quemadmodum verò nos, qui
 verâ veri DEI cognitione imbuti sumus, supersticiosam illam profa-
 narum gentium Apotheosin meritò rejiciendam ducimus; ita non possu-
 mus non vehementer laudare piam illum à veteribus Ægyptiis Roma-
 nisque ad nos devolutum morem, quò defunctorum Regum Principum-
 que vita, dicta, virtutes, ac res præclare fortiterque gesta in solenni
 Panegyri recensentur, iisque adeò ad posteritatis memoriam vel quo-
 vis ære perennius monumentum statuitur. Quem honorem ac pieta-
 tem, si quisquam alius, profecto unus omninum maximè meretur Sere-
 nissimus ac Potentissimus Sveonum Rex CAROLUS nomine UNDE-
 CIMUS, at rerum gestarum magnitudine si non primus, certè nulli
 secundus, festinante nimis fato nuper extinctus. Si enim Titum Ve-
 spasianum, nunciatâ illius morte, tantâ veneratione prosequerentur
 Romani, ut mœrentibus cunctis Senatus ad curiam concurreret, fori-
 busque apertis tantas mortuo gratias ageret, laudesque congereret, quan-

quantas ne vivo quidem unquam atquo presenti ; quantum quæsumus Regi huic Optimo Maximo deberi putabimus, in quo omnia gloriosissimorum Majorum suorum decora confluerant, omnesque regia virtutes raro admodum & memorabili exemplo, ceu in illustri quodam monumento erant repositæ, unde sumi posset, quo humanum genus servari, quo regna prudenter administrari, quo jura, mores, instituta legesque in hominum vita sancte ac quietè retineri queant. Ex quo enim amplissimi regni sui habenas capeffit, tam circumspicte ac provide illud per annos septem & triginta administravit, ut omnes, etiam exteros, in sui admirationem raperet. Quis enim illustres EFUS virtutes intuens propius non agnovit in EO Davidis pietatem & religionis ardorem, Salomonis sapientiam & prudentiam, Josua fortitudinem, Hiskia justitiam, Josaphati clementiam & modestiam ; adeò ut quæ virtutes in Regibus aliis singula apparent, in HOC univèrse quasi exsplenderint. Siquidem tueri religionem, custodire æquitatem, conservare quietem ac securitatem publicam, nervos regni firmare, Academias & Scholas vel novas condere, vel instaurare collapsas, literas artesque bonas fovere, admittere supplices, prospicere egenis, succurrere oppressis, inter primas semper habuit. Quibus rebus sanè maximis id consecutus est, ut amor ac delicia sua gentis appellari meruerit, EFUSque immaturus obitus à provinciis & totâ natione non aliter quàm parente orbatis, acerbè nunc defleatur. Adeò incredibile sui desiderium hic tam pius & salutaris, tam benignus & mansuetus Rex reliquit, ut nemo sit, qui EFUS mortem æquò animo ferre possit. Luget imprimis Mater & Proles Regia, plangunt Regni Proceres, mæret Equester Ordo, afflictantur Provincia, gemunt Civitates, squalent agri, omnia denique Tempia, Curia, Academia querelis & lamentationibus circumsonant. Quid ? quod non Arctous solùm orbis, cui IPSE sanctissimè imperavit, sed exteri quoque Reges, præsertim Germaniæ Principes vel fœdere & amicitia, vel consanguinitate & affinitate, vel alia quâvis ratione EIDEM conjuncti, tantum Heroem veluti communem pacis in Europa restituendæ conciliatorem desiderant, suum ex inopinato ILLIUS obitu conceptum dolorem institutis passim parentalibus prolixè testantes. Ipse

PRINCEPS NOSTER SERENISSIMUS, *Academiae*
 hujus RECTOR MAGNIFICENTISSIMUS, *ut publice*
 declararet, quanti sibi esset Rex & Cognatus desideratissimus, &
 quam tenerè quamque carè virtutem in tam caro Capite tot fidei docu-
 mentis probatam & stimaret, non solum publicum Academia nostra in-
 dixit luctum, verùm etiam Heroicas, & divinas planè Maximi hu-
 jus Regis virtutes solenni Panegyricò celebrari jussit, prout Clementis-
 simo IPSIUS mandato ad verbum hìc subjecto plenius inno-
 tescet.

**Von Gottes Gna-
 den Friedrich / Erbe zu Nor-
 wegen / Herzog zu Schleswig / Holl-
 stein / Stormarn und der Ditmarschen / Graf zu
 Oldenburg und Dellmenhorst.**

**Unsere gnädigsten Gruß zu-
 vor / Wohl = Ehrwürdiger und Hoch-
 gelahrter / lieber andächtiger und Betreuer / Euch ist sen-
 der Zweifel bereits bekannt / was gestalt man in dem Kö-
 nigreich Schweden entschlossen / des Weyland Durch-
 läuchtigsten / Großmächtigsten / Unser
 Freundlich vielgeliebten und Hoch = Geehrten Herrn Bet-
 ters / Königes CAROLI des Fifften verbli-
 chenen**

chenen Körper den 24. Tag nechstkünftigen Monats Novembris zur Erden zubestätigen und ins Grab zu setzen. Wann Wir nun aus vielen Respecten, absonderlich daß Wir von höchsterwehnter Königl. Majest. in Dero Leben recht Betterliche Affectio genossen/ Uns verbunden achten/ Dero höchstlößliche und glorzwürdigste Memorie, welche bey Uns nimmer wird ersterben/ auch bey denen Unserigen zu conserviren/ und solches durch eine solennelle Parentation auf unserer Academie zum Kiel an oberwehnten zur Königl. Beysetzung verordneten Tage verrichten zu lassen/ hierzu aber Euch als Unsern Professorem Ordinarium dazu gnädigst deputiret.

Als ist hiemit Unser gnädigster Wille und Befehl an Euch/ daß Ihr an bemeldten Tage auf gedachter Unserer Academie zum Kiel/ diesem grossen Könige/ wie dessen in aller Welt höchstgepriesene Heroische und recht Königliche Tugenden und grosse Thaten es billigst meritiren und erfordern/ euer Uns bekanten Dexterität nach/ öffentlich durch eine solennelle Oration parentiret. Versehen Uns dessen zu Euch/ und bleiben Euch zu Gnaden gewogen/ geben Hamburg den 13. Octobris Anno 1697.

Friderich.

Dem Wohl-Ehrwürdigen und Hochgelahrten/ Unserm lieben Andächtigen und Getreuen Ehren Johann Friderich Meayer/ der Heil. Schrift Doctori, Ihrer Königl. Majest. zu Schweden Ober-Kirchen-Rath in dero Teutschen Provinzien, und Unserm Professori Ordinario bey der Theologischen Facultät Unserer Universität zum Kiel.

* * *

Quod parentandi munus, triste illud quidem ac luctuosum, sed piissimis
Optimi Regis Manibus debitum, cum ad dictum Exequiis diem Collega no-
ster honoratissimus, pro singulari, quâ pollet, facundiâ executurus sit; omnes
excelsissimarum Tanti HEROIS virtutum, meritorumque incomparabili-
um admiratores, Vosque, Cives Academici, ad solennem hunc Actum Ve-
strâ frequentiâ decorandum, supremumque pietatis officium, Regum Prin-
cipumque Europæ Maximo præstandum, officiosè ac peramanter invita-
mus. Agite ergo omnes & singuli, atque immortales EJUS laudes vir-
tutesque, quæ non minus admirationis quam gloriæ habent, gratâ piâque
nobiscum memoriâ recolite. Habebitur Oratio in Auditorio Majori ab
hora V. vespertina. P. P. Sub Sigillo Academia die XXIV. Novembris
A O. R. M DC XCVII.



Nemo

Nemo Vestrûm,

CELISSIMI CIMBRORUM DUCIS
ET DOMINI NOSTRI

DOMINI

FRIDERICI,

Quem DEUS fervet!

Legate Excellentissime,

Et ob immortalia pervetustæ

AHLEFFELDIORUM

Gentis, cui originem debes, & ob propria, insignia
prorsus, adversus patriam universam merita, valde illustris.

Vestrûm nemo,

PRO-RECTOR MAGNIFICE,
PRO-CANCELLARIE

Summe venerabilis,

Vosque reliqui Auditores prout cujusque capit dignitas,
longe honoratissimi,

Et Tu cum primis in futuræ ætatis solatium
exurgens juvenus.



Nemo, me hoc die, hac hora, hac in urbe,
nemo in Concione isthâc, in suggestu hoc
nemo me conspiceret, si mei res esset arbi-
trii, & mihi reliqua foret optio: captarem secessus,
hominum vitarem vestigia, fugerem cœtus, abde-
rem me, in solitudine unicum quærerem præsidium,
idq; in præsentis quæ me premit, quin imo opprimit

calamitate, felicitatis meæ absolveret summam, si à nemine visus, vidissem neminem. Ad angustos Musei me damnarem carceres, optarem tenebricosissima nocte circumfundi atque immergi, advocarem, invitarem omnibusque adjuvarem modis, aterrimam caliginem, tenebrasque spississimas, ut priorum oculorum liceret effugere obtutum.

Ita, ita demum lacrymis ubertim manantibus indulgere mihi esset integrum, ita largissimis gemitibus, planctibus, lamentis fas esset diffluere, sic liberè laxarentur luctui meo frena, ut de composito conceptoque sermone parum sollicitus, in verba abrupta, in ejulatus, in quiritationes totus effunderetur.

Instat enim hora, attonitus loquor, hora instat, signa dantur, tormentorum fragor horribilis terra marique indicat, Sveciam CAROLO Magno, quid, CAROLO? Saluti publicæ, universi qua patet Christiani Orbis, jam ire exequias.

Heu me miserum! quem in hunc diem, solennis mihi servavit Calamitas.

Eumne mihi Regem ereptum, qui peculiari prorsus gratia me clementissimè complectebatur, fovebat, defendebat, nutriebat. Eum Regem, qui & mihi Rex, & meis ex invidenda atque incomparabili gratia, Pater erat. Nulla unquam oblitterabit dies, nulla vetustas obruet, neque ulla penes me delebit oblivio verbum illud, quo mihi solito citius à Rege nuper discedenti, cum negotia mea felicitatem longioris

gioris præsentia invideret, vale dicebat Regum Maximus, imperans *ut quam possem brevi reverterer*; quod mihi submississime ad proximum quidem annum, si paria divina ferret voluntas, promittenti, interim verò si quid humanitus mihi accideret, filios meos Clementia illius humiliter commendanti, dextram ultro porrigebat, *Noli sollicitus esse, inquit, Te enim si fatis concedere contingat, me Filiorum tuorum cura habebit sollicitum.*

Tu DEUS Optime Maxime, Rerum humanarum arbiter summe, Tu unus nosti, quam promptus ego & alacris pro tanti Principis vita meam profudissem, quam lubens quanta cum voluptate Tuo jussu de præsidio & vitæ decessissem statione, si mea morte CAROLI fata non redimere dicam sed prolongare contigisset. Cui enim meorum lugēdus fuisset salvo & superstitite CAROLO? At, Tu, quem nullæ poterunt deprecationes expugnare, Parentem pariter & liberos prosternis, prostratisque dolorem inuris vix consolabilem, ad quem nihil accedere potest acerbius. Quis enim ego erepto Rege? & quinam mei sublato CAROLO! *Heu mihi! quod mecum jam esse & solus luctui meo obsequi nequeam!* At enim, Magnus Cimbri-
rum Dux FRIDERICUS, cui me permisi, quem vos mecum veneramini Dominum, nānias meas interpellat, jubet me privato luctu suppresso, de ipsius, imo verò? de publicæ salutis quem super Regis morte concepit, intensissimo mœrore, verba hodie facere.

Te Holfatia Sapientissimus Princeps cernit ex fu-
C nere

nerere tanto fauciatam gravius, quo propiori necessitudine Regem, qui totius Orbis admirationem in se converterat, attingis, Matris enim Mater es, atque id si non sentis, scire Te voluit.

Tuus, ô Holfatia, Princeps, illud Regum Decus amavit vehementissime & Patris instar coluit, nunc à blanda deamati Regis facie quoad vivet avulsus, adeo vehementi angitur & tantum non concidit mœstitia, ut timere habeas, ne in funere CAROLI, FRIDERICVS funus fiat. Illud autem Princeps hodie, publica voce, in panegyri hâc indicare iussit.

Sed, cur mihi præ cæteris, hoc officii dare voluisti Princeps Celsissime, cur mihi has dicendi imponis partes? Equidem Tibi constat, quam prompte, quanta submissione contentioneque animi mandatis respondere Tuis semper allaboraverim. Jusseras aliquando Domine, quo Tuo nomine ad Regem loquerer, annuebam statim, & ita per DEI gratiam meo defungebar munere, ut Rex itidem clementissimis ad me perscriptis literis injungeret, de Rege ad Te loquerer. Nec demeministi fortè, quam diligenter quam læto animo etiam hoc fuerim executus.

Equidem, si conjectura uti mihi est integrum, hæc forte causa est, quam obrem me præ tot Oratoribus quibus terra tua abundat elegeris, quia nemo jam est me ad dicendum ineptior, inconditus & in concinnus sermo meus, verba crebris singultibus interclusa, impedita lachrymis vox, & ejulans potius quam quiritans oratio, una longe accommodatissima futu-

futura est, ad maximum Principis luctum & mœrorem exprimendum. Qua profecto in parte ratio Te, (ceu pro divinitate iudicii Tui nunquam) ita & in præsens, minimè fefellit.

At vero, ipsa eat etiam Eloquentia in laudes tanti Regis, explicet disertâ facundia vires suas omnes, moveat lacertos, audeat virtutum ipsius magnitudinem æquare verbis, cladem occipiat quam in morte Regis non Cimbria, non Svecia sola aut quæ sceptro Svevico parent aliæ terræ, sed universus in quantamcunque longitudinem & latitudinem se porrigit Christianus Orbis passa est, digne fatis ac meretur enarrare, temerarii ausus pœnas obmutescendo dabit, oratio illam destituet, arduam dicendorum sublimitatem consecutura.

Franciscum Robortellum os illud universæ Italiæ accepimus, cum Hispanorum rogatu Bononiæ Carolus Imperatoris laudes oratione funebri fuisset ingressus, in ipso dicendi exordio animo fuisse collapsum, sensibus turbatum & in tantam conjectum fuisse trepidationem, ut omnis vox faucibus hæreret: Ecquid illi spei vel consilii erit residuum, qui non CAROLI Quinti memoriam: sed Undecimi, in quem CAROLORVM non Magni illius duntaxat, & Quinti, vel decem qui ante nostrum regno præfuerunt, sed omnium in universo Orbe CAROLORVM, quos Purpura & diademate donavit divina Bonitas, omniū virtutes confluerant, omnesq; solus referebat: quid! quod superabat? OMNIUM CAROLORUM COMPENDII, QUIN OMNINO FASTIGII.

Quantacunque ergo sit mea jam in dicendo balbuties, hispida ordinisque prodiga oratio, cogitationes ex luctu interturbatae, abruptae, sufficient tamen hac in angustia, desiderio Regis, voluntati Principis, vestro obsequio. **LAMENTIS ITAQUE NOSTRIS ATTENDITE, PRINCEPS ID JUBET.**

Illud ego execror, detestor, abominorque superstitionis genus, *Auditores*, quod vanissimo commento, nominibus hominum, vim arcanam nescio quam, tribuere haud veretur. Parum tamen abesse fateor, quin credam, arbitrio providentiae divinae singulari, Principibus, qui peculiari Ecclesiae essent praesidio, illius juvarent commoda, protraherent in lucem, ab hostium rabie defenderent, **CAROLI** contigisse nomen, *ut summa beneficia Christi Sponsa solis propemodum debeat CAROLIS.* Ex quorum ingenti copia si quinque duntaxat dedero, satis hoc erit ad amorem ac venerationem **CAROLINO** nomini conciliandam, quod solus Rex noster jam pridem, optatissimum ac venerabile, heu! desiderabile reddidit.

Quis vero Germaniam poene omnem ex inferorum faucibus, ex detestando quo contaminabatur idolorum cultu asseruit in fulgentissimam Evangelii lucem, quis felicitatis sempiternae spem fecit animabus, animas Christo vindicavit? **CAROLUS** is fuit vere magnus! *Imperii Romani, pariter Ecclesiaeque Augustus.* Quis tyrannidem Pontificis de cervicibus excusit nostris, Evangelio reddidit libertatem, conscientias quiete donavit? **CAROLUS, CAROLUS V. Imp.** in cuius aere aeternum erit Ecclesia.

Sed

Sed ut ad mœstitiâ confectos Svecos mea se convertat oratio, atque hi profecto CAROLI nomen, symbolum salutis Ecclesiasticæ sibi semper fuisse, uno ore magnaque animorum consensione confirmabunt omnes. Nam quod Christo nomen dederint, CAROLO Magno referunt in acceptis: quod excusso jugo, Pontificiorum superstitione, eorum non humeris sed animis quondam imposito, Evangelicam doctrinam jam sincere possideant, tutoque religionis puritate fruantur, CAROLO, Regis nostri ex maximi Patris matre, abavo, debere se agnoscunt: quo, dicite Auditores, majusne dari poterat beneficium?

Quæ vero manent laudes CAROLUM GUSTAVUM divi Regis nostri gloriosissimum Parentem? Demeministisne, ô Germani mei, quod sub umbra pacis Osnabrugensis vobis securis esse liceat, hoc omne post CHRISTINAM Sveciæ Reginam CAROLI GUSTAVI esse beneficium? Ut Pontificis Romani fastus non denuo Sveciam in suam redigeret potestatem imo servitutem, in qua jam sedem & thronum in Regio throno sibi comparaverat, hoc quoque CAROLO GUSTAVO debetur unicè! Quod hæreticorum nulli publicum pestilentis doctrinæ exercitium concessum sit, CAROLI GUSTAVI sanctissimæ constitutioni, quæ æterna apud vos audit, *Et ut maneat, DEUM per Christi vulnera ardentissimis poscimus votis*, est tribuendum.

Eat nunc veritatis ludibrium *Matthias Prætorius*, perfricet frontem, & incomparabilem Regem nostrum

D

strum

strum speret à Parentis virtute discessurum, imbellemque columbam credat progeneratam à forti aquila. Sibi certe sapit, sibi somniat, tubâ irenica invictum Regis nostri pectus infringi posse credens, ut in ditione sua pacem cum Anti-Christo coagmentare nullus dubitaret, Christoque & Beliali æquum jus in regno suo impertiretur. Væsanas verò suspiciones! pervasionem multò iniquissimam stultissimamque!

Quis Formulæ Concordiæ tantam autoritatem & vim addidit, ut omnes illius adversarii turpem capessere fugam seseque proripere in hunc diem cogantur? CAROLUS. Quis Symbolicos quos vocamus libros non à publicis modo hostibus sed & adversus clandestinas & ad fraudem exitiumque comparatas detorsiones, nec non hypocritarum neo-Arminianorum nos inter, cuniculos, vindicavit? CAROLUS. Quis denique omnes ^{veω 7 εε 10 μ 2 s} eorumque patronos cane pejus & angue odit, summoque studio ex regionibus suis ejecit? CAROLUS.

Duo apud me fervantur mandata Regis, quibus novam librorum Symbolicorum editionem ad vetera exemplaria anxie conferendam, & Bibliothecâ hæreticorum, dogmata libris illis comprehensa oppugnantium augendam, clementissime mihi injunxit. Tam sollicitè Ecclesiæ monumenta curabat, usque adeo pro sincerioris doctrinæ excubabat sepimentis. Non mediocri felicitate uti sibi usus est, cum centesimus illuxisset annus, ex quo DEUS im-

morta-

mortalis, CAROLI ope, Evangelii lucem Sveciæ restituerat, & Lutheranam doctrinam in Concilio Upsaliensi introduxerat sollemnissime. Non majore gaudio perfundi, non quicquam magis optatum experiri potuit. Hinc Jubilei festivitas in honorem & laudes divini Numinis indicta & instituta, hinc gratiarum actione, hymnis, precibus, omnia templa, omnes personare regiones, ut DEO per juncta totius regni vota veluti vis quædam inferretur, quæ eum permoveret, imo adigeret, hanc purioris doctrinæ felicitatem propriam Sveciæ, nec nisi cum terris ipsis finiendam esse juberet!

Esthonia re pretiosissimâ omnium caruerat hactenus, nondum enim quisquam libros divinos illorum donaverat idiomate: Rex igitur nihil intentatum prætermisit, donec libri utriusque fœderis universi ad versionis Germanicæ Lutheri exemplum, Esthonicis quoque auribus redderentur. Neque in hoc acquievit ejus in religione fervor, pro religione zelus, ut sceptro subjectos probâ doctrinâ imbueret imbutosque servaret: Sed cum victricia arma ad partem usque Americæ feliciter protendisset, sacrificium Victoriæ Eucharisticum DEO obtulit incolarum animas, in quorum usum ut veræ Religionis capita doceri possent, Catechismum Lutheri in linguam Virginico-Americanam transfundi jussit.

Memini plurimos permiratos esse, quidnam tantum Regem moverit, ut longissimum pariter atque difficillimum iter in Lapponiam usque susciperet, i-

pse aditurus locum, ubi sol occasum nesciens noctu & interdiu oculis se non subducit: singula enim CAROLUS noster propriis usurpavit oculis, & sua ipsius manu annotanda putavit. At ego, in sentina horum temporum, ubi aulis atheismus pro pietate est, & religionis ludibrium pro summa iudicii acie, longe magis admiratione dignum arbitror, quod Monarcha iste tot & tantis curis vastissimarum regionum implicitus, imo sepultus, omnem tamen operam curamque impenderit, ut loca, quæ sole purioris doctrinæ adhuc caruerant, illustrarentur, aut ubi jam radios suos in mortalium usus dispensavit, ibi occideret nunquam.

Hanc vero anxiam curam & sollicitudinem pro conservatione & incremento Religionis, non in solis rebus prosperis & ad voluntatem suam fluentibus assidue fovendam duxit. Commemoraturus enim vobis sum rem admirandam, quamque auscultari ab omnibus, in primis ab hostibus veræ doctrinæ Evangelicæ, atque parabatis, qui vel ad dignitates obtinendas, vel ad parandas opes, fidei suæ naufragium facere, religionemque vendere non dubitant; nec auscultari tantum, sed & alta mente reponi vehementer optem. Rem, fateor, incredibilem, sed verissimam, cui scio aures omnia audientis, oculosque omnia spectantis DEI non inficiandum testimonium præbere. Cum postrema vice in his terris fruerer honore salutandi submisit Regis, sermoque esset de Religionis negotio & de salute Ecclesiarum Germanicarum,

nicarum, beatissimum ipsius os toto ex pectore hæc ad me verba dixit: NOLI QUÆSO, MI DILECTE DOCTOR, NOLI PUTARE, ME TEPIDO ET INDIFFERENTI ESSE CIRCA RELIGIONEM ANIMO, QUI PARATUS SUM SI DEI VOLUNTAS ITA FERAT, NON SCEPTRUM DUNTAXAT ET REGNA, SED CAPUT HOC QUOQUE ET ANIMAM PRO FIDE LUTHERANA LUBENTER PROFUNDERE. O Heroem Incomparabilem! Ah Pater! Ah Pater! O Currus Equitesque Israëlis.

Deploranda Ecclesiæ nostræ est facies, unicus exitialis morbi fons & certissima origo, (unde & iram Numinis provocari, atque præsentissimam tabem & imminutionem insequi videmus) sed nullis satis deploranda lacrymis, quod disciplinæ publicæ nulla ve exigua habeatur ratio, sive illud contingat vitio illorum qui vigilem curam ad se rapiunt, sive populi incredibili & inexpugnabili pertinaciâ, ut incassum dolentibus veræ fidei doctoribus, insultantibus proterve ac petulanter adversariis, Ecclesiastica autem potestate angustis nimium terminis circumscriptâ, peccatis fenestra aperiatur, frena laxentur, facili indulgentiâ aut multâ levi pecuniaria quævis constet improbitas. Unde enim effrænis adeo commessatorum prostratæque pudicitiae hominum copia? Unde tot perjuria, blasphemiae, profanus & effrons sacrorum contemptus, ut aut publico consensu publice prosriptas leges divinas credas, aut Potestates Summas integritatis vitæ abjecisse curam, suspicari necesse habeas. Suspiria super hâc re, alta quidem duxere, Principumque animos vel effusis lacrymis

E

fle-

flectere conati sunt, veteranus ille *Erasmus Sarcerius*,
 pius *Johannes Saubertus*, acer & flammeus *Johannes Valenti-*
nus Andrea, gravissimus & sanctissimus *Antonius Reiserus*.
 Sed non sine summo dolore fatendum nobis est, fru-
 stra fuisse illorum consilia, preces, suspiria, lacrymas,
 quibus omnibus invalescens *Casaropapia*, (ignoscite
 monstroso ad rem longe monstrosiorem exprimen-
 dam composito vocabulo) ita vehementer obstitit,
 adversaturque hactenus, ut ab eâdem Ecclesiæ ulti-
 ma quæque impostera metuamus.

Te vero felicem, Svecia, ô terque quaterque fe-
 licem, quæ auspiciis CAROLI nostri disciplinæ Ec-
 clesiasticæ passim ejectæ & expulsæ, asylum data es
 tutissimum. Hæc furtivorum amorum sectatores
 quoslibet, nemine excepto, dejicit in genua, ut ve-
 niam scandali supplices rogent, atque solenni pœni-
 tentiâ stolidum facinus expient, quod in Israële Sve-
 cico admittere non erubuerunt. Hæc illos, qui vel
 in plateis deambulando diei Dominicæ religionem
 lædunt, includit carceri, hæc Svecarum civitatum
 portas Sabbati die diligenter occludit & obfirmat,
 ne onera ulla, merces ullæ DEUM offendant.

Quam vero facile in Svecia Ecclesiasticæ discipli-
 næ restitui rigorem! cum Rex ipse, vel invidia teste,
 esset viva lex, & omnis virtutis absolutissimum instar.

Nulla dies abiit, qua non per horas publicas pre-
 cibus consecratis, flexis poplitibus DEUM coleret e-
 jusque opem imploraret. Nunquam ad populum
 verba fecit, oraculorum divinorum interpres, ut
 non

non ante sermonis sacri ingressum, & eô finitô, Rex omnium conspectu se in genua devolveret, & ad exemplum Regis prostrato universo populo, à DEO peteret remitti sibi peccata, concedi salutare munus sanctissimi Spiritus, DEO Optimo Maximo gratias ageret pro concessa intemerata verbi sinceritate, se denique & Regnum suum ejus curæ atque providentiæ enixè commendaret.

CAROLUM Magnum Sanctis annumerare non dubitant Pontificii, quem quatuor concubinas aluisse ipsi non diffitentur, *Mathalgardin, Gersvindam, Reginam & Adelhoinam.* Egregium vero Sanctum! at contra Sanctissimum CAROLUM, cujus corpus nullo impudicitiae crimine pollutum Svecia hodie terræ mandat.

Demonstrata Mariæ Virginis imagine libidinem suam compressisse ac constrinxisse fertur CAROLUS octavus Galliae Rex, ut captivam virginem, cujus amore exarserat, illibatam sponso captivo redderet, & ambos unà cum cognatis restitueret in libertatem, addita dote quingentorum nummum aureorum. Quid vero Noster? nonne imaginem usquequaque præsentis DEI ita semper in oculis tulit, amavit, veneratus est, ut impuris amoribus ne semel quidem locum apud se relinqueret, constetque eum, excepta Coniuge incomparabili, hereditaria Danica Principe ULRICA ELEONORA, Mundi Miraculo, cum nulla unquam fœmina consuetudinem habuisse. Quam paucos hodie CAROLOS reperias! quam raros castitatis CAROLI imitatores!

Helluationibus & compotationibus nihil magis & constantius abominabatur, visusque sibi est Monarcha ille jam modum excedere, si paulo ultra horæ spatium pranderet. Theodosii Imp. aulam sanctam integris libellis describere par Jesuitarum celeberrimum *Cassinus* & *Raderus* : Quod si ipsi Veritati aulam CAROLI describendi partes demandarentur, non nisi sanctam illam daret. Ita Monarchæ exemplo, ad imitandas & referendas virtutes universi incitabantur, exulabant & execrationi erant crimina, pessimos quosque & præfractæ malitiæ homines pœnæ deterrebant.

Olaus Rudbeckius magnum illud decus Sveciæ & eruditi orbis, in doctissimo Atlanticæ opere probandum sibi sumsit, Paradisum quondam, non in Insula Ceylanensi, non in Tartaria, China, Persia vel Mesopotamia, sed vero in Svecia locum suum habuisse: suspicione erudita quidem & patriæ grata, ambigua tamen. Nemo vero dubitet, pietate beatissimi Regis CAROLI XI. Paradisum Sveciæ restitutum! Cujus quanta sit pulchritudo atque amœnitas, omnium oculis offerunt elaboratissimæ, omnibusque hujus generis monumentis facile opponendæ constitutiones Ecclesiasticæ, quas, magnus ille CAROLUS noster, fieri summoque studio adornari jusfit.

Ast CAROLUS obiit! Væ Ecclesiæ! concidit hæc ad tumulum, & inter mille quiritationes summo in luctu suo, Principis Megapolitani Johannis meminit, qui vulgato nomine Theologus appellabatur.

Idem

Idem meritis tribuit CAROLI, ut ad posteros si qui futuri sunt, desideratissimi CAROLI memoriam hoc Epitaphio transmittat: QUIESCIT HEIC CAROLUS REX SVECORUM, THEOLOGUS.

At enim manus injicit *Iustitia*, voceque lamentabili suis quoque locum dari querelis desiderat. In hoc quippe illa regnorum conservatrix, illa salus Rerum publicarum, illa sospitatrix humani generis, fixam sedem elegerat sibi: in hęc spem suam omnem repositam habebat, ad hujus, ab omnibus rejecta & explosa, unice provocabat arbitrium. Adeo, ut novissime Christianus Orbis belli injuriis misere attritus, laceffitus, confossus, justum sequestrem pacis neminem, nisi CAROLUM hunc sibi dari optaverit, ad nullius nisi Regis Nostri sententiam omnes fortunas suas voluerit exigere. Huic itaque uni potestas data est, in afflictis universę Europę rebus de tot regnorum salute jus dicendi, quia omnibus persuasum erat, absurdum esse & incredibile, ut CAROLUS sententiam ferret, & illa æqua, justa, recta non esset.

Etiam, cum præmaturus Regis obitus illum summo huic Christiani Orbis tribunali ac iudicio, contra omnium vota & opinionem subtraxit, tam alte mentibus omnium inhæsit persuasio ac spes, quam de iustitia Regis concepere, ut serium ejusdem studium non dubitarent unã cum sanguine etiam in filium derivatum esse, atque ita CAROLUS quoque Duodecimus, imago Parentis expressissima, nihil iniqui, nihil injusti decernere posse crederetur, sed defunctus

F

Pa-

Parens jus etiamnum dicere, & arbitrium ferre videri possit, filio interprete.

Quis vero speret oratione se æquaturum, illam curam atque industriam, quam justitiæ studio intra regnum suum administrando, in gubernandis provinciis, in exercendo de causis ac bonis subditorum judicio, constanter atque diligentissime Rex beatissimus exercuit? Procul ab illorum more aberat, qui alienis oculis vident, alienis auribus audiunt omnia, alterius judicio absolvunt, damnant; Non patiebatur sibi verba dari, vendi fucum, non vitris fallacibus utebatur, per quæ causas calamitatesque subditorum cognosceret: Prudenter & accurate singulorum merita introspiciens, nihil dabat compositis ad fraudem & privatam utilitatem commendationibus, neque malevolorum obtreccionibus aut querelis decipi se patiebatur, ut odio haberet aliquem, citra meritum, aut negligeret. Itaque benefactis honores ac præmia, malefactis ignominias & supplicia continuo proponens, nihil aliud egit, quam ut excitatis bonorum studiis, malorum improbitatem coerceret. Quamobrem ipse circumspexit omnia, expendit omnia, judicavit de omnibus, ut quoniam universa mala, damna, perniciem rebus publicis pariter ac privatis ex injustitia evenire firmiter sibi persuaserat, constans & immobilis justitiæ Patronus, ad jus ingenuè dicendum, a natura ipsa factus esse videretur. O fortunatas tanto Rege terras! ô felices Sveonum regiones Monarcha CAROLO!

Con-

Contra cogitarine potest quicquam miserius Principe ejusmodi, qui aut ingenii stupiditate, aut intemperanti luxu, aut ignavâ oscitantiâ se ministro- rum suorum arbitrio subjecit, ut ab iis instar mancipii jam huc jam illuc pro lubitu duci atque trahi se per- mittat.

Quid infelicius illo regno, ubi non melior & peritior, sed vel Patronis stipatior, ditiorve, aut vero nequior prævalet, ubi non causæ bonitas in iudicio vincit, sed persona rei, vel argenti pretium, & magis impune est multa crimina commisisse, quàm æmu- lum paulo potentio-rem habuisse: ubi denique vari- is Ministrorum artibus se invicem deludentibus, om- nis animorum voluntatumque confociatio, atque unâ cum iustitia omnis fructus, omnis dulcedo, om- nis amabilitas vitæ, vita denique ipsa è vitâ sub- lata est.

Agite, perpendamus, Auditores, quam beata fu- erit Sveciæ conditio, cuius Rex non modo ipse iusti- tiæ incredibiliter studuit, sed inferiores quoque Ma- gistratus ad instar suum composuit diligentissime. Qui sanctissimâ lege cavet, ne rabularum mangonia sophericis suis cavillationibus ius detorquere, causas protrahere, illudere iudicibus, & clientes naso su- spendere pecuniâque emungere possent. Qui sa- luberrimo de emendandis legibus suscepto consilio, quo æquitatis atque iustitiæ fructus ad omnes perve- niret, hanc rem Tuæ, Illustris GULDENSTOLPI, qui alter Sveonum Zamolxis es, aliorumque summo-

rum virorum curæ severe demandavit. Atque ne dona, quibus etiam Jovem ipsum flecti Poëtæ falso prodidere, iudicum animos causarumque innocentiam pervertere possent, eum, qui munere accepto ius violasse deprehensus fuisset, non minore quàm capitis supplicio hoc crimen luere, paucis ante obitum annis, edixit.

Merito igitur se tanto suo hyperaspiste privatam videns Justitia, attonita in squalorem induitur, stupensque & afflicta desiderio Regis, vix *Balduini* sui Jurisconsultorum facile principis recordatur, ad cuius tumultum hæc verba olim emiserat:

CUJACI.

BALDUINUS. HEIC. JACET.

HOC. TECUM. REPUTA. ET VALE.

MORTUIS. VOBIS.

JURISPRUDENTIAM. CORRIPIET. GRAVIS. SOPOR.

Mox, CAROLO filio iustissimo, clementissimo Rege in luctûs levamentum ad se vocato, Parentis incomparabilis sarcophago hæc æterni desiderii verba incîdit:

CAROLE. FILI.

CAROLUS. PATER. HEIC. JACET.

MORTUIS. VOBIS.

JUSTITIAM. CORRIPIET. GRAVIS. SOPOR.

Illa vero novis gemitibus & planctibus aures nostras obtundit, quæ nova præfica? obnupto turpiter vultu, quem ad omnes elegantias compositum habet, animosque adsveta est hominum in triumphum ducere, & præfractis etiam facere vim. Quænam

nam

nam illa? *Clementia* est, Auditores, desideratissimum illud cœli pignus, cuius vinculo subditi Principum animis alligantur, atque ita alligantur, ut ament etiam compedes suos, & servitutem, si integra illis esset optio, libertati præferrent longissime. Quid amabo molestum est, grave quid, difficile, arduum denique, de clementia Principis sui vel mediocriter persuaso? Hæc sola ad capeflenda alacriter iussa animum addit, luctanti inter summas difficultates addit vires, & post devoratum superatumque omne molestiarum genus, tandem inexplicabili voluptate animos perfundit, ut solum hoc sufficiat, omniumque votorum absolvat summam, Principi placuisse.

Illam vero lacerata genas, pectore capiteque percusso, *heu mihi*, inquit, *heu mihi!* Ex torris jam agere cogor CAROLO in monumentum inferendo majorum, hęc pereunte, pereo: ipsa ego illi pro anima, ille mihi pro domicilio erat, heu meâ, meâ etiam sede expulsa sum.

Ita est, Auditores, ambigui hærent qui Principum formare mores, eorumque consulere autoritati se profitentur, magis ne ad sanctiorem Majestatis cultum faciat, si rarius se conspiciendos præbeant à subditis, rarissimeque cum eis colloquantur. Neque ad verborum, quin ad jungam me partibus agentivum, si insigni corporis nævo notatus sit Princeps, si vultu subobscuro, moribus difficillimis, si stupidior sit quàm ut semet ipsum regere, vel aliorum animos sibi obstringere possit, si vere de ipso dici queat

G

quod

quod de Juliano quidam tradidere, eum *hirsutam capellam, loquacem talpam & purpuratam simiam* appellantes. Talibus si contigerit regnum, quis dubitabit eos tutius populi conspectui subduci, quo religiosius de Principe sentire subjecti pergant, ac dignissimum imperio esse imprudentes arbitrentur, quod præsentis conspectus refelleret.

At enim, quid dicemus si omnes veneres gratiæque in uno Principis conveniant sedemque figant corpore? si arcana luminum illi sit Majestas, labris infideat lepor & suavitas, gravitas oris clementiâ temperata rapiat in amorem ac venerationem ad se omnes, gestus ad gratiam compositi, & Patris & Domini esse prodant? Nihil optabilius certe, utilius nihil, regnis, Provinciis, quàm ejusmodi qui sit, eum subditis frequentem sui copiam facere.

Enimvero talem fuisse CAROLUM nostrum, nemo negare audeat, hostium quoque judicio: quanta enim ejus mansuetudo, quanta humanitas, quantus decor? ita ut cui semel contigerat esse tam felici, ut eum propius intueri, affari, audire loquentem posset, toto pectore eum deperire cogeretur. Neque hanc felicitatem temere cuiquam invidebat Princeps clementissimus, assidue enim in oculis subditorum versabatur, assidue patebat conspectui, alloquiis, precibus omnium. Non sane defuit illi innumerable multitudo satellitum militumque, & pompa tanto digna Rege, qui non exiguæ orbis terrarum portioni imperaret: At ne pluribus stipatum, minus adve-

adsveti refugerent, aut preces suas in ejus sinum profundere aliis audientibus vererentur, integrum erat omnibus, remotis arbitris adire Regem, terriculamentis ruborem vel metum iniectionis procul repulsis. Quanta hinc orphanorum, viduarum, militum, rusticorum: magnorum, medioxumorum, infimorum quotidie Regem cingebat concio, quorum desideria & patienter audiebat, & si justa petiissent, opem extemplo ferebat, supplicibus etiam libellis apud se servatis, ut afflictorum patronum in sanctiore consilio ipse ageret.

Singularis præcipue illius erga Theologos clementia fuit, quorum consuetudine atque colloquiis non mediocriter delectatus est. Quam rem mallet vobis pro dignitate ediffererent summe venerandus ille SVEBILIUS, totus nunc diffluens lacrymis Sveciæ Archi-Episcopus, aut CARLSONIUS, BENZELIUS, SPIGELIUS, VIRENIUS, CARLSBERGIUS, STEUCHUS, aliique Reverendissimi præfules Regi nostro valde dilecti, quorum & eloquentia vos caperet, & majore apud vos autoritate esset oratio.

Equidem non dubito affirmare, clementiæ hujus Regiæ argumenta omnem fidem longissime supergredi. Quis enim ego? in quem tamen tanta extitit illius Monarchæ clementia, quantam ne optare quidem ausus fuisset, nedum expectare, ita ut plus quam humanam eandem deprædicare mihi sit necesse. Nihil jam commemorabo de munificentia

Regia, donisque ac muneribus, quibus me, meosque nunquam non auctos clementissime dimisit: tantum dicam de sanctioribus colloquiis, quorum copiam mihi uberrimam fecit Rex, cum novissimâ mea præsentia in unica hebdomade quinquies, ac sæpe ultra integrum bihorium audientiam concessit, ita ut per illud temporis spatium neminẽ præterea admitteret, sed & caveret diligenter, ne quæ Rex mihi, ego Regi dicerem, à quoquam perciperentur. Eam in rem non dubitavit ipse duorum conclavium fores manu sua claudere, obducereque pessulos, quandoque etiam foràs prospicere, utrum aliquis inique curiosior adesset & auscultaret.

Bone DEUS, quantam tunc clementiam Regis expertus sum, cum oculi, aures, os, dextra illius de palmâ suavissimæ humanitatis inter se contendere viderentur. Rogavit me, qui imperare poterat mihi, ut in enarrandis iis quæ proponere ipsi cœperam, peregerem: gratias agere dignabatur pro laboribus, quos & DEO & Regi debui. Sed abrumpenda est de hisce oratio, antequam vox præ lacrymis deficiat: unicum tamen adhuc quod Regis in me clementiæ fidem faciat, idque supremum documentum accipite. Ambitionis causas credite, Auditores, procul habeo, doloris & submississimæ gratitudinis æstus libertati meæ veniam facit.

Vota calidissima pro Monarchæ salute conceperam, atque sub anni hujus auspiciis preces meas literis complexus, miseram ad Regem. Quid ad hæc ille?

illæ? num serenâ fronte duntaxat easdem recepit?
 quod mihi satis futurum erat: imo votorum meo-
 rum antevertens modestiam, respondere mihi di-
 gnatus est literis nomine suo, propria manu subfi-
 gnatis, quæ ultimæ eheu a Beatissimo Rege octa-
 vo Iduum Januarii ad me datæ, sempiternum mihi
 erunt desideratissimæ Clementiæ CAROLINÆ
 monumentum:

**Unsern gnädigsten Bruch und wohlge-
 neigten Willen zuvor / Würdiger und Hochgelahrter /
 besonders lieber Betreuer.**

Es ist Uns euer Schreiben unterm dato Ham-
 burg den 18. Decembris wohl zu Handen ge-
 kommen / ob dessen Inhalt Wir ersehen Euren
 wohlgeneigten Neu= Jahrs= Wunsch zu diesen eingetrete-
 nen Neuen Jahre: Und wie Wir darob mit besonderem
 gnädigsten Vergnügen verspühren Eure getreue Uns zu-
 tragende Ergebenheit / als sagen Wir Euch disfalls gnä-
 digsten Dank / bitten auch den höchsten Gott / daß Er sol-
 chen guten Wunsch kräftigst bestätigen und erfüllen / auch
 Euch in diesen Neuen / sammt vielen folgenden Jahren / be-
 ständiges Wohlergehen / und glücklichen Success in euren
 Theologischen Verrichtungen verleihen wolle. Nechst
 dem können wir nicht unbezeugt lassen / Unser gnädigstes
 Wohlgefallen und Beliebung -- & quæ seqvuntur.
 Wir werden bey jeden Vorkommenheiten solches in Gna-
 den zu erkennen wissen / und verbleiben Euch übrigenß nechst
 Empfehlung Göttlicher Obhut mit Königl. Hulden wohl
 bengethan. Gegeben / Stockholm den 6. Januarii 1697.

CAROLUS.

H

Ite

Ite nunc in suffragia Patres, & dicite, omnes suas si exerat Clementia facultates, omnesque profundat opes, majus aliquid dare posset? Urbanitatem in funere *Urbani Octavi* Romani Præfulis, quo ex nominis necessitudine monumentum ornaret elogio, hæsisse sollicitam, fingebant qui meritis favebant Episcopi, & in hoc acquievissent demum:

URBANUS.

URBANITATEM. IPSAM.

FECIT. URBANIOREM.

Loquatur æternum qui hodie humari generis Delicium CAROLUM tegit lapis, æternum loquatur Clementiam Regis nostri, illamque ab omni oblivione hoc Epitaphio asserat:

CAROLUS.

HEIC. QUIESCIT.

QUI. IPSAM. CLEMENTIAM.

CLEMENTIOREM. FECIT.

Venit, Auditores, venit in doloris partem *Fortitudo*, à semetipsa in hoc funere destituta, supplex rogat, instat, urget, ut CAROLI tumulo una cum CAROLO inferatur. Majori Heroi nunquam itum fuisse exequias, sanctissime, tristissimo quamvis ejulatu, affirmat.

Militem in Svecia hujus Regis curâ prorsus immortalẽ & invictum, benignissime à Rege habitum, ita ut stipendia ampla satis defuerint nunquam, à Rege paterne deamatum, (qui ægrotorum sæpius ipse invisit cryptas) trophea innumera, victorias im-

mor-

mortales & insignes, devictas gentes loquitur. At ego, felicitatem illam Regi maximo gratulor, recensere quî possem, ad togam unice natus?

Hostem ergo, inquit Fortitudo, tibi objicio generis humani maximum, ad quem debellandum tu & universi qui pro salute animarum agitis excubias, omnes ingenii pariter atque officii intenditis nervos, quem animose Rex tuus, Rex meus aggressus, & gloriosissime vicit, & lætus egit in triumphum.

Ad silentium te componis Fortitudo? Visne tuum ut aperiam ænigma? Mortem innuebas? quod quamprimum affirmavit, tota præ mœrore obmutescit.

Ecquis vero digna edisserat Oratione animum Regis, adversus omnes impetus mortis, hostis illius ultimi, imperterritum, nihil vacillantem, præsentissimum? Horrent alii hanc deponere sarcinam, hac corporis mole liberari, & caduca æternis permutare, ideo quod experiri cum morte, illo terribilium terribilissimo reformidant. Præoptare videntur nunquam frui cælo, quam spiculo mortis confossos ponere personam.

Enimvero facilius erat Solem à cursu suo revocare, quam à fortitudine, quam sibi usque ad extremum vitæ agona vectigalem reddiderat, avertere **CAROLUM**. Metu mortis adeo afficiebatur parum, ut omnem ultimæ voluntatis instauratione levaret, excuteret, aboleret. Testor omnes quotquot utrumque letaliter decumbentis latus claufe-

runt, quanta contentione, quanta alacritate, sagacitate quanta, futuris, quos impendere prospiciebat, casibus mederi fategerit, de subditorum salute magis quàm de vitæ prorogatione sollicitus.

Jam pridem disceptatum est inter eos, qui varios motus animi humani eorumque rationem & sensus accurate scrutari atque exponere conati sunt, præstet ne mori in patria, inter amplexus amicorum, inter cognatorum lacrymas: an sit optabilius extra patriæ fines procul à suis mortem oppetere. Ac plurimum sane probabilitatis & verisimilitudinis habet eorum sententia, qui rerum humanarum gnari, perturbationumque, quas amor sui afferre solet, non imperiti, haud dubitarunt mortem eam longe acerbiolem graviolemque ducere, quæ inter medios amicos, svavisimosque consanguineos obitur in Patria, quàm si quis alieno in loco, nemini notus, nullius lacrymis impeditus, tacitum naturæ debitum exsolvat. Quot enim amicorum lacrymas videt, quot cognatorum ejulatus atque quiritationes audit, tot mortes ipsi sunt sustinendæ, quòque plures vel chariores sunt qui eum circumstant, tanto plura crudelioraque mortis genera subeunda sunt. Cui vero plures unquam, magisve dilecti circa lectum feralem adstiterunt, quàm gloriosissimo Regi nostro, quorum universi & singuli immensâ vi lacrymarum & planctuum à morte eum retinere conabantur. Quantus itaque numerus ejulantium Regem cingit, tot mortes oppetendas sibi esse intelligit, videt, experi-

peritur: & tamen moritur animo læto atque Heroico, imo vincit, ac ne moritur quidem.

Ignoscant Divi manes, quod Regem de præsentissima vitæ jactura minus nihilo anxium, mea interpellat oratio. Annon piissima Genitrix in lacrymas effusa fidelissimas, ullum vitæ continuandæ desiderium potuit instillare? Per omnes serio Te obtestatur charitates, per omnia obsequia, indiciis nec paucis nec obscuris ætatem abs te declarata, ut etiam pietate in Matrem, CAROLO Magno major semper fueris, enixissime contendit, ne viduam se deserendo, vulnus quod ex Potentissimi Genitoris obitu luctuosissimo contractum nondum etiam coit, refrices. Non desinit mater precando, supplicando, ingemiscendo, Regias obtundere aures, verum nunc primum abit repulsa, irritas deplorans preces, atque cum suis stomachata lachrymis, quod ne filii quidem obsequiosissimi animum valuerint emollire, multominus præmaturum restringere beatæ analyseos desiderium. Etenim Rex propositi tenacissimus antiquum obtinet, à Constantiæ laude nullus dimovetur, Maternis *parum debilibatur precibus Rex, vincit.*

Excidit ne tibi, excidit Princeps juventutis, hominum amor, unica Parentis Potentissimi spes, atque tot regnorum heres, qui fletibus Avix plorantis

suos miscens singultus, ad Regem, ad Dominum, ad Patrem properat supplex, ruit in blandissimos amplexus, per tot populorum salutem, per suæ juventutis annos rogat, ut sibi vivat Rex, quo ipse deinde regnis vivere possit. Verùm neque hæc Regis fleunt animum, sed in Principem filium suum ad CAROLI Magni exemplum diadema cum Sceptro confert lubentissime, nihilque à pristinâ fortitudine remittens *Rex vincit.*

Ecquid vero respicis Inviçtissime Rex, ex intensissimo, qui Patres agit, affectu lacrymas, singultus, svavissimorum pignorum, quæ Tibi ultimum dicens Vale, tuæ fidei ULRICA ELEONORA, quam svave nomen! credidit. Hæc quæ deosculatur manus & plusquam lacrymarum madefacit imbre, HEDWIG SOPHIA est, filia Tua. Virtutum omnium sedes, illud orbis, in cuius solatium nata est, ornamentum; illa quæ suspiriis & gemitibus suis Cælo vim facit, ULRICA ELEONORA, Matris expressissimum instar. Verùm & has preces negligit, *Rex vincit.*

Et FRIDERICVS noster Tuus est, Regum potentissime, quem filii instar habuisse semper, cui nil quicquam unquam denegasti, hic amantissimæ pariter atque illustrissimæ bigæ lamentabili ordini se

jun-

jungens, per salutem suam, per vitam suam poscit à te Regum optime ne vita exeas. Verùm aduersus has quoque querelas obfirmatum Regis pectus, *Rex vincit.*

Confiliariorum vero Tuorum, Rex clementissime, nulla Te ceperit oblivio. En genibus Tuis aduolutos, qui pueritiam Tuam, antequam ex ephebis excederes, moderati fuerunt prudentissime. En sanctissimum senem parentis instar Tibi dilectissimum, magnum OXENSTIERNA, caput illud non Sveciæ tantum sed orbi Christiano toti, maxime Venerabile. En quantos in questus effundatur, quam devotis Supplicationibus Tuum deprecetur obitum Illustris atque incomparabilis GYLDENSTERN, Vir & subacti iudicii & summæ prudentiæ laudibus, nec non immortalibus meritis inclytissimus! Taceo reliquos agmine quasi facto cælum obtestantes, ut Tuæ Majestati cum valetudine in gratiam redire ac superstiti esse liceat quam diutissime. Verum neque ita animo concidit, *Rex vincit.*

Redduntur literæ inclytissimorum Heroum Martia Virtute tot tantisque domitis feliciter hostibus illustrium, BIELKII, DAHLBERGII, WELLINII, aliorumque magnorum belli Ducum, redduntur non literæ sed lacrymæ, quæ lecto

Tuo affusæ queruntur Te animam emittente, omnes copias demittere animum. Quid ad ista Rex? Num animo concidit? imo propterea animosior, quia animam emissurus. *Rex vincit.*

At vero ô Rex, quo nemo amantior fuit subditorum, qui nullum miserum Tuæ Clementiæ confisum repulsam ferre passus es unquam, obsurdisti ad intensissimas subditorum vociferationes, tuam incolumitatem incessabiliter postulantes? Vel primogenitorum suorum, vel conjugum suavissimarum, vel possessionum omnium facere jacturam, modo Tu valetudine inconcussâ vitæ longiori perfruaris, paratissimos se declarant summo vitæ necisque arbitro. *De nostris annis, de nostris annis, una omnium vox est.* Te salvo, in quo singulorum vertitur salus, nihil trepidant: At quod proloqui nolent, Te fatis concessuro ipsam detestantur vitam, seque ipsos ad tumulum componunt. Enimvero neque his quidem Regis infringitur animus, *Rex vincit.*

Cessas loqui Regum Clementissime, & iratiori facto vitæ fortunæque nostræ permittis arbitrium? Ille verò, generoso & invicto animo intuetur omnes, magnâ virtute de imbecillitatibus nostris & ipsa

o- ipsa morte triumphans. *Valete*, inquit, *Valete DEO*
 ex? *plus quam commendatissimi.*

or, Dixit plura, magnæ Matris manus comprimens
 & deosculatus, Principis nati dextram prehen-
 dens, qua Coronam Sceptrumque acciperet. Sed
 to- horreo, refugio memoriam acerbissimi temporis,
 nfi- quo omnis quæ concipi poterat nobis felicitas, a-
 ad missa est, ne, quam satis titubanter dixi, oratio mea,
 in- deliquio finiatur.

na- O DEUS quem pro Regis nostri vita nulla suspi-
 m, ria, nullæ lacrymæ, vota nulla, victimæ nullæ po-
 ori tuerunt expugnare, ah misericordiarum Pater, fons,
 ne- origo, illas quibus unicum in ineluctabili hoc
 o- luctu circumscribitur solatium, audi preces. Mife-
 er- ricordissime DEUS, audi, exaudi promptus, exaudi
 ol- facilis, ob Redemptoris vulnera exaudi certus, ET
 fe- REDDE! REDDE NOBIS IN DUODECIMO
 ero CAROLUM UNDECIMUM.

DIXI

K

Am

Am öffentlichen Klag= Tage /

Den 20. Augusti 1697.

Da

Alle Tugendhafte zusammen kamen zu klagen /
Den Unvergleichlichen und seiner göttlichen Tugenden
wegen ganz unsterblichen Schwedischen

MONARCHEN

CAROLUM den Fülfften /

Winselte nachfolgende gebrochene Worte /

D. JOHANNFRIEDRICH MAYER,

Königlicher Schwedischer Ober=Kirchen=Kath.

MADRIGAL.

Ach! Klage! Schmerz und Weh
russt selbst die Natur /

Denn Menschen sind zu schwach den König zu betrauen
Die Steine schreyen ach! Weh schreyen jetzt die Mauren!

Die ganze Creatur

Hält einen Klage=Tag und weinet bitterlich!

Die Königliche Burg das Wunder dieser Erden

Rufft Feuer über sich!

Der Tempel ach! dieweil der König Staub und Asche

Will Staub und Asche werden!

Europa hört das Ach und stimmt mit ein.

Und die des Höhesten lebend'ge Tempel seyn

Die winseln stets: ach Schmerz! ach Noth!

Ach daß der Grosse CAROL todt!

Was thu ich bey der Angst in der ich fast vergehe?

Nichts anders rufft mein Mund / als: Klage! Ach

und Wehe!

—*—*—*— (o) —*—*—*

1077

MC.

PRINCEPS NOSTER SERENISSIMUS, Academia
hujus RECTOR MAGNIFICENTISSIMUS, ut publice
declararet, quanti sibi esset Rex & Cognatus desideratissimus, &
quam tenerè quamque c
mentis probatam & stima
dixit luctum, verum ei
jus Regis virtutes solemn
simo IPSIUS man
tescet.

Von
den Fried
wegen / Her
stein / Storma
lden

Unsern
vor / Wohl=
gelahrter / lieber an
der Zweifel bereits
nigreich Schweden
läuchtingsten /

Freundlich vielgeliebten und Hoch- Beehrten Herrn Bet-
ters / Königes CAROLI des Fifften verbliz-
chenen



upite tot fidei docu-
cademia nostra in-
plane Maximi hu-
prout Clementis-
ecto plenius inno-
st.

Vna=
zu Vor=
ig / Holl=
n / Bras zu
st.

Bruch zu=
und Hoch=
e / Such ist sen-
ian in dem Kö-
nd Durch=
ren / Unsero

